

suâ prædicatione complerit, iram tollens, & vicem talionis excludens, & occultam in mente concupiscentiam damnans. Donec transeat cœlum & terra. Promittuntur nobiscœli novi, & terra nova, quæ facturus est Dominus Deus. Si ergo nova creanda sunt, consequenter vetera transiunt.

Te Deum laudamus. 12.

In ij. Vesperis fit Commemoratio Sancti Remigii, quæ habetur in ejus Festo post finem sequentis Officii solemnitatis SS. Rosarii, die prima Octobris. 663.

FESTA OCTOBRIŒ.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. cxxij.

DOMINICA

Prima Octobris, quæ incidit in Kalendas illius mensis vel proximæ sequitur, fit

OFFICIUM

Solemnitatis SS. Rosarii B. Mariæ Virginis. Duplex.

AD VESPERAS.

Antiphona. Dum esset rex, cum reliquis Antiphonis & Psalmis, ut in Officio parvo B. Mariæ. cxvj.

Capitulum. Ab initio, Hymnus. Ave maris stella. cxvij. * Dignare me laudare te, Virgo sacrata. * Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sancta Mariæ succurre miseris, juva pusillanimes, refrove sębiles, ora pro pōpulo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuam juvamentum, quicumque celebrant tuam sanctam Solemnitatem. Oratio.

DEus, cujus Unigenitus, per vitam, mortem, & resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit: concede quaesumus; ut hæc mysteria sanc-

tissimo beate Mariæ Virginis Rosario recolentes, & imitemur, quod continent, & quod promittunt, assequamur. Per eundem Dominum nostrum.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Sancta Mariæ Dei Genitricis Virgo, Intercede pro nobis, Psalm. Venite, exultemus. 1. Hymnus. Quem terra. Antiphona & Psalmi Nocturnorum, ut in Officio parvo beate Mariæ. cxix.

In primo Nocturno, leguntur Lectiones, y. & B. ut in Festo S. Mariæ ad Nives v. Augusti.

In secundo Nocturno.

* Adjuvabit eam Deus vultu suo. * Deus in medio ejus, non commovebitur.

LECTIO iv.

Cum Albigensium hæresis per Tolosatum regionem impię grassaretur, atque altius in dies radices ægeret, Sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validius, auxilium beate Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentissime impetebatur; cuique datum est cunctas hæreses interimere in universo mundo, enixis precibus imploravit: à qua, ut memoriæ proditum est, cum monitus esset, ut Rosarium pōpulis prædicaret, velut singulare adversus hæreses ac vitia præsidium: mirum est, quanto mentis fervore, & quam felici successu injunctum sibi munus sit executus. Est autem Rosarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades, oratione Dominicâ interjectâ, distinguimus, & ad earum singulas totidem nostræ reparatiōnis Mystéria

ria piâ meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore plus hic orandi modus mirabiliter per Sanctum Dominicum promulgari, augeturque cepit; quem ejusdem Institutorem, Auctoremque fuisse Summi Pontifices, Apostolicis litteris, passim affirmarunt.

* Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cyprissus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris. * Et sicut cinnamomum & balsamum aromatizans. Dedi suavitatem.

LECTIO v.

Innumerabiles porrò fructus ex hac tam salutari institutione in Christianam Rempublicam dimanarunt; inter quos victoriâ illa merito numeratur, quam Sanctissimus Pontifex Pius Quintus, & ab eo inflammati Christiani Principes apud Echinadas insulas de Turcârum tyranno potentissimo reportarunt. Nam, cum illâ ipsâ die ea victoriâ relata sit, qua die sanctissimi Rosarii sodalitates per universum orbem consuetas supplicationes peragerent, statutasque preces de more funderent, iis precibus haud immerito referunt accepta. Quod quidem, cum etiam Gregorius Tertius decimus testatus esset, ut pro tam singulari beneficio beate Virginis sui appellatione Rosarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur; in Ecclesiis omnibus, in quibus alitare Rosarii foret, primâ quaque Octobris, Dominicâ Officium ritu Duplici majori perpetuo celebrandum indixit: alique Pontifices Rosarium recitantibus, ejusdemque Rosarii Sodalitatibus Indulgentias penè innumeras concessere.

* Quæ est ista, quæ processit sicut sol, & formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filie Sion, & beatam dixerunt, & reginæ lau-

daverunt eam. * Et sicut dies vereni circumdabant eam flores rosarum & lilia convallium. Viderunt.

LECTIO vj.

Nuper verò Clemens Undecimus animo reputans insignem pariter victoriâ anno millesimo septingentesimo decimosexto in Hungaria Regno à Carolo Sexto, in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcârum copiis relatum, eo die contigisse, quo Festum Dedicatiōnis Sanctæ Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem ferme tempore, quo sanctissimi Rosarii Contrates publicam, solemnemque supplicationem in alma Urbe ingenti pōpulo concursum, magnaque religione peragerent, fervere ad Deum preces pro Turcârum depressione funderent, ac potentem opem Desiparæ Virginis in auxilium Christianorū humiliter implorarent: eam ob rem, victoriâ illam, necnon liberatam paulò post eorundem Turcârum obsidiōne Corcyrensem insulam ejusdem beate Virginis patrocinio pię censuit adscribendam. Quamobrem ut hujus quoque tam insignis beneficii perennis semper, & memoriâ extaret & gratia, sanctissimi Rosarii Festum eadem die, eodemque ritu celebrandum, ad Ecclesiam universam extendit. Hæc autem omnia Benedictus Decimus Tertius in Breviario Romano novissime apponi jussit. Sanctissimum ergo Dei Genitricem cultu hoc eodem gratissimo jugiter veneremur, ut quæ toties Christi fidelibus Rosarii precibus exorata, terrenos hostes profligare dedit ac perdere, infernos pariter superare concedat.

* Ornatum monilibus filiam Jerusalem Dominum concupivit: * Et videntes eam filie Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes:

Unguētum effūsum nomen tuum. **Y.** Ascitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et vidētes. Glória Patri. Unguētum.

In tertio Nocturno.

Y. Elēgit eam Deus, & praelēgit eam. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundūm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. d

In illo tempore: Loquēte Jesu ad turbas, extollens vocem quādam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bede Presbyteri.

Lib. 4. cap. 49. in Luc. 11.

Magna devotiōnis & fidei hæc mulier ostēditur, quæ Scribis & Phariseis Dōminum tentantibus, simul & blasphemantibus, tantā ejus incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tantā fideliā constituit, ut & præsentium procerum calūmniā, & futurorum confundat hereticorum perfidiam. Nam sicut tunc Judæi, sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialēque Patri Dei Filium negabant: sic hereticæ postea negando, Mariam semper virginem, sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris unigenito Dei, carnis suæ materiā ministrasse, verum consubstantialēque patri filium hominis fatēri non debere dixerunt.

R. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: **Y.** Quia ex te ortus est sol justitiæ, **Y.** Christus Deus noster. **Y.** Ora pro pōpulo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvāmen, quicūque celebrant tuam sanctam So-

lemnitatem. Quia ex te. **Benedictio.** Cujus festum cōlimus, ipsa Virgo virginum.

Lectio viii.

Sed si caro Verbi Dei secundūm carnem nascentis à carne Virginis Matris pronūtiatur extranea, sine causa venter qui eam portasset, ubera quæ lactasset, beatificaverunt. Dicit autem Apōstolus: Quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiēdi sunt, qui legendūm putant: Natum ex muliere, factum sub lege; sed, factum ex muliere: quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed maternā traxit ex carne: aliōquin nec verē Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychem dictis, extollāmus vocem cum Ecclesia Catholica, cuius hæc mulier typum gessit, extollāmus & mentem de medio turbārum, dicamōsque Salvatori: Beatus venter, qui te portavit, & tiberā, quæ suxisti. Verē enim beata parens, quæ sicut quidam ait, enixa est puerpera Regem, qui celum terramque tenet per sæcula.

R. Beatum me dicent omnes generationes: **Y.** Quia fecit mihi Dōminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. **Y.** Et misericordia ejus à progēte in progētis mentibus eum. Quia fecit mihi Dōminus. Glória Patri. Quia.

Nona Lectio dicitur de Homilia Dominica occurrentis.

Ad Laudes, & per Horas Antiphona, Psalmi, Capitulum, & Hymnus ut in Officio beate Mariæ Virginis in Sabbato. cxij.

Y. Diffusa est grātia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætērnūm.

Ad

Ad Benedictus. Antiphona.

Beata es Maria, quæ credidisti: perficiētur in te, quæ dicta sunt tibi à Dōmino, alleluia.

Oratio.

Deus, cuius Unigenitus, per vitam, mortem, & resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit: concede quæsumus; ut hæc mysteria sanctissimo beate Mariæ Virginis Rosari recolentes, & imitemur, quod continent, & quod promittunt, sequamur. Per eundem Dōminum.

Et fit Commemoratio Dominica occurrentis.

In secundis Vesperis omnia ut in primis. 660.

Ad Magnificat. Antiphona.

Beatum me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Et fit Commemoratio Dominica occurrentis.

DIE I. OCTOBRIS.

Sancti Remigii Episcopi & Confessoris. Semiduplex ad Libitum, vel Simplex de præcepto.

Si Festum S. Remigii, occurrit in Dominica, vel infra Octavam, pro nona Lectione dicitur: Remigius Episcopus Rhemensis, ut infra; & in fine Te Deum, cum Comm. ejusdem in Laudibus.

Ad Vesperas, Ant. Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex, pastor bove in pōpulo, ora pro nobis Dōminum. **Y.** Amavit eum Dōminus, & ornavit eum. **R.** Stola gloria induit eum.

Oratio.

DA, quæsumus omnipotens Deus; ut beati Remigii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, & devotiōnem nobis augeat & salutem. Per Dōminum nostrum.

Lectio iij.

Remigius Episcopus Rhemensis, floruit Clodoveo Rege Francorum, quem etiam baptizavit, & primus omnium doctrinā & miraculis Francos ad Christi Dōmini fidem perduxit. Ejus oratione mortua puella revixit. Multos interpretatus est divina Scripturæ libros. Amplius septuaginta annos summā cum laude Rhemensem Ecclesiam administravit. Cujus vitæ & mortis sanctitatem multa, quæ consecrata sunt, miracula comprobarent.

Te Deum laudamus. 12.

DIE II. OCTOBRIS.

In Festo Sanctorum Angelorum

Custodum.

Duplex.

Ad Vesperas, Ant. Angelis suis, cum reliquis de Laudibus. 667. Psalmus. Dixit Dōminus, cum reliquis de Dominica, 94. & loco ultimi, Psalmus Laudate Dōminum omnes Gentes. 97.

Capitulum. Exodi 23. d

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Observa eum, & audi vocem ejus.

Hymnus.

Custodes hōminum psallimus Angelos, Naturæ fragili quos Pater addidit Cælestis comites, insidiantibus Ne succumberet hostibus. Nam quod corruerit proditor angelus, Concessit merito pulsus honoribus; Ardens invidia, pellerē nititur Quos cælo Deus advocat. Huc Custos igitur pervigil advola, Avertens patriā de tibi credita Tam morbos animi, quam requiescere

Tt 4

Quid-

Quidquid non ſinit incolas.
Sanctæ ſit Triadi laus pia jūgiter,
Cujus perpétuo nūmine machina
Triplex hæc regitur, cujus in óm-
nia.

Regnat glória ſæcula.
Amen.

V. In conſpectu Angelórum pſal-
ſam tibi Deus meus. **R.** Adorábo
ad templum ſanctum tuum, & con-
fitebor nómini tuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Omnes ſunt adminiſtratórii ſpiri-
tus, in miniſtérium miſſi propter
eos, qui hæreditátem cápiunt ſalútis.

Oratio.

Deus, qui ineffábilis providén-
tiã Sanctos Angelos tuos ad
noſtram custodiã mittere digná-
ris: largire ſupplicibus tuis; & có-
rum ſemper proteſtione defendi, &
aeternã ſocietate gaudere. Per Dó-
minum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Angelórum Dóminum,
* Venite, adorémus. **Psalmus.** Ve-
nite. 1. Hymnus. Custódes hómi-
num, ut ſupra in primis Veſperis.

In primo Nocturno, Antiphona.

Mittere Deus cœli & terræ ipſe
mittit Angelum ſuum coram te.

Psalmus. Dómine Dóminus noſ-
ter, cum reliquis per Ordinem

Nocturnorum poſitis in Feſto De-
dicacionis S. Michaelis, ut ſup. 649

Antiphona. Deus meus miſit An-
gelum ſuum, & conclúſit ora leó-
num, & non nocuerunt mihi.

Psalmus. In Dómino confido. 649.

Antiphona. Benè ambulétis, & Dó-
minus ſit in itinere veſtro, & An-
gelus ejus comitétur vobiscum.

Psalmus. Dómine, quis habitábit. 649.

V. Stetit Angelus juxta aram templi.

R. Habens thuríbulum áureum in
manu ſua,

Lecciónes primi Nocturni quæ
ſequuntur, omittuntur eo anno, quo

in præcedentibus diebus non poſſet
legi initium libri Eſther; quod ideo
legi debet in hoc Feſto.

De libro Exodi.

Lectio 1. Cap. 23. 2

Ecce ego mittam Angelum meum,
qui præcedat te, & custódiat
in via, & introducat in lo-
cum quem parávi. Obſerva eum,
& audi vocem ejus, nec contem-
néndum putes: quia non dimittet
eum peccaveris, & eſt nomen meum
in illo. Quod ſi audieris vocem
ejus, & feceris omnia quæ loquor,
inimicus ero inimicis tuis, & affli-
gam affligentes te. Præcedétque te
Angelus meus.

R. Angelis ſuis Deus mandávit de
te, ut custodiãnt te in ómnibus
viis tuis: • In má nibus portábunt
te, ne umquam offéndas ad lápi-
dem pedem tuum. **V.** Millia mil-
lium miniſtrábant ei, & decies
millies centena millia aſſiſtébant ei
in má nibus.

Ex Zacharia Propheta.

Lectio 2. Cap. 1. b

Factum eſt verbum Dómini ad
Zachariam, filium Barachia,
filii Addo, prophétam, dicens:
Vidi per noctem, & ecce vir aſcén-
dens ſuper equum ruſum, & ipſe
ſtabat inter myrtéta, quæ erant in
profundo: & poſt eum equi ruſi,
varii, & albi. Et dixi: Quid ſunt
iſti, Dómine mi? & dixit ad me
Angelus, qui loquebátur in me:
Ego oſtendam tibi quid ſint hæc.
Et reſpóndit vir, qui ſtabat inter
myrtéta, & dixit: Iſti ſunt, quos
miſit Dóminus, ut perambulént ter-
ram. Et reſpónderunt Angelo Dó-
mini, qui ſtabat inter myrtéta, &
dixerunt: Perambulávimus terram,
& ecce omnis terra habitátur, &
quieſcit.

R. Reſpóndit Angelus Dómini, &
dixit: Dómine exercituum, • Us-
que-

quequò tu non miseréberis Jerú-
ſalem, & úrbium Juda, quibus irá-
tus eſt? **V.** Iste enim ſeptuagésimus
annus eſt. Uſquequò.

Lectio 3. Cap. 2.

ET levávi oculos meos, & vi-
di: & ecce vir, & in manu
ejus funiculus meſórum. Et dixi:
Quò tu vadis? Et dixit ad me: Ut
métrar Jerúſalem, & vídeam quan-
ta ſit latitúdo ejus, & quanta lon-
gítúdo ejus. Et ecce Angelus, qui
loquebátur in me, egrediebátur, &
Angelus álius egrediebátur in oc-
cúſum ejus. Et dixit ad eum: Cur-
re, loquere ad puerum iſtum, di-
cens: Abſque muro habitábitur Jerú-
ſalem præ multitudine hóminum,
& jumentórum in aetío ejus. Et
ego ero ei, ait Dóminus, murus
ignis in circuítu: & in glória ero in
medio ejus.

R. In conſpectu Géntium nolite ti-
mère: vos enim in córdibus veſtris
adoráte & timéte Dóminum: • An-
gelus enim ejus vobiscum eſt. **V.** Ste-
tit Angelus juxta aram templi, ha-
bens thuríbulum áureum in manu
ſua. Angelus enim. Glória Patri.
Angelus.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Cum eſſem vobiscum, per volun-
tátem Dei eram: ipſum benedicite,
& cantáte ei. **Psalm.** Cœli enarrant.

651. **Añã.** Tollens ſe Angelus Dó-
mini, qui præcedébat caſtra Iſraél,

ábíit poſt eos. **Psalm.** Dómini eſt
terra. 651. **Añã.** Immitet Angelus

Dómini in circuítu tíméntium eum,
& eripiet eos. **Psalm.** Benedicam

Dóminum in omni témpore. 652.

V. Ascéndit fumus arómatum in
conſpectu Dómini. **R.** De manu

Angelus.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio 4. In **Psalm.** Qui habitat.

Angelis ſuis mandávit de te,
Mira dignatio, & verè mag-

na dillectio charitátis. Quis enim?
quibus? de quo? quid mandávit?
ſtudióſè conſiderémus, fratres, di-
ligenter commendémus memoriæ
hoc tam grande mandátum. Quis
enim mandávit? cujus ſunt An-
gelus? cujus mandátis obtemperat?
cujus obediunt voluntári? Nem-
pè Angelis ſuis mandávit de te,
ut custodiãnt te in ómnibus viis
tuis. Nec contantur, quin etiam
in má nibus tollant te. Summa ergo
majéſtas mandávit Angelis, & An-
gelis ſuis mandávit. Illis útique ſub-
limibus, tam beátis, quam proximi-
ſis ſibi coherentibus, & verè do-
mésticis mandávit de te. Tu quis
es? Quid eſt homo, quod memor
es ejus? aut filius hóminis, quoniam
reputas eum? Quasi verò non ſit
homo putredo, & filius hóminis
vermis. Sed quid putas mandávit
de te? ut custodiãnt te.

R. Vivit ipſe Dóminus, • Quoniam
custodívit me Angelus ejus, & hinc
eúntem, & ibi commorántem, &
indè huc reverténtem. **V.** Et non
permiſit me Dóminus ancillam
ſuam conquinári. Quoniam.

Lectio 5.

Quam tibi debet hoc verbum
inferre reveréntiam, afférre
devotíonem, conférre fidu-
ciam! reveréntiam pro præſentia,
devotíonem pro benevolentia, fidu-
ciam pro custodiã. Caute ámbula,
ut videlicet cui adſunt Angeli, ſicut
eis mandátum eſt, in ómnibus viis
tuis. In quovis diverſório, in quovis
ángulo, Angelo tuo reveréntiam
habe. Tu ne audeas illo præſente,
quod vidénte me non auderes? An
præſentem eſſe dubitas, quem non
vides? quid ſi audires? quid ſi tán-
geres? quid ſi olfacteres? Vide, qui
non ſolo viſu rerum præſentia com-
probátur.

R. Angelus Dómini deſcéndit cum
A22-

Azaria & sociis ejus in fornacem, & exussit flammam ignis de fornace: Et non tergit eos omnino ignis, neque contristavit. *Psalm.* Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum. Et non.

Lectio vi.

In ipso itaque, fratres, affectuose diligamus Angelos ejus, tanquam futuros aliquando coheredes nostros, interim verò actores & tutores à Patre pòsitos, & præpòsitos nobis. Qui sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minùs autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhareamus eis, & in protectione Dei cœli commoremur. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione: inclamam eum, & dic: Dòmine salva nos, perisus.

R. In omni tribulatione eorum non est tribulatus. Et Angelus faciei ejus salvavit eos. *Y.* In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus seculi. Et Angelus. Glòria Patri. Et.

Intertio Nocturno, Antiphona. Misit Dòminus Angelum suum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitùs regis Assyriorum. *Psalm.* Cantate Dòmino canticum novum: cantate Dòmino. 673. *Añs.* Adorate Dòminus omnes Angeli ejus: audivit eos, & lætata est Sion. *Psalmus.* Dòminus regnavit, exultet. 674. **Antiph.** Benedicite Dòmino omnes Angeli ejus, potentes virtute, fa-

cièntes verbum illius, ad audiendum vocem sermonum ejus. *Psalm.*

Benedic anima mea Dòmino: & omnia, quæ intra me sunt. 674. *Y.* In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. **R.** Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nòmini tuo.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio vii. *Cap. 18.*

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi. *Comment. in Matth. can. 18. post initium.*

Non nisi reversos in naturam puerorum introire regnum cœlorum Dòminus docet: id est, per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animæque revocanda. Pœros autem, credentes omnes per audientiam fidem nuncupavit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolèscunt, non odèrunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Revertendum igitur est ad simplicitatem infantiam: quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominicæ circumferemus.

R. Machabeus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia: Cum fletu & lacrymis rogabant Dòminum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. *Y.* Cum pariter prompto animo procederent Jerosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candida. Cum fletu. **Benedictio.** Quorum festum còlimus.

Lectio viii.

Væ huic mundo ab scândalis. Humilitas passionis scândalum

lum mundo est. In hoc enim maxime ignorantia detinetur humana, quòd sub deformitate crucis, æternæ glòria Dòminum nòluit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quam non recepisse Christum? Ideò verò necesse esse ait venire scândala: quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explènda.

R. Tu Dòmine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: Et nunc Dominator cœlorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timòre & tremòre magnitudinis brachii tui. *Y.* Ut mereant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum pòpulum tuum. Et nunc. Glòria Patri. Et nunc.

Lectio ix.

Vidète ne contemnatis unum de pusillis istis, qui credunt in me. Aptissimum vinculum múti amoris imposuit, ad eos præcipue, qui verè in Dòmino credidissent. Pusillorum enim Angeli quotidie Deum vident: quia Filius hominis venit salvare quæ pèrdita sunt. Ergo & Filius hominis salvat, & Deum Angeli vident, & Angeli pusillorum præsent fidèlium orationibus. Præesse Angelos absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille contèmmitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum & invisibilem Deum ambizioso Angelorum famulatu ac ministerio pervèhuntur.

Te Deum laudamus. 12.

AD LAUDES,

& per Horas Antiphona.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omni-

bus viis tuis. *Psalm.* Dòminus regnavit, cum reliquis. 13. *Añs.* Laudemus Dòminum, quem laudant Angeli, quem Cherubim & Sèraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamant. *Añs.* Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis. *Añs.* Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum. *Añs.* Laudate Deum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.

Capitulum. *Exodi 23. d.*

Ecce ego misit Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Observa eum, & audi vocem ejus.

Hymnus.

Æterne Rector siderum,
Qui, quidquid est, potentia
Magnâ creasti, nec regis
Minore providentiâ.
Adesto supplicanti
Tibi reorum cœtui,
Lucisque sub crepusculum
Lucem novam da mentibus.
Tuisque nobis Angelus
Electus ad custodiam,
Hic adsit; à contagio
Ut criminum non protegat.
Nobis draconis æmuli
Versutis extèrminet,
Ne rete fraudulentiæ
Incûta nectat pectora.
Metum repèllat hostium
Nostris procurat de finibus,
Facem procurat civium,
Fugètique pestilentiam.
Deo Patri sit glòria,
Qui, quos redemit Filius,
Et sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiât. Amen.
Y. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. **R.** Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nòmini tuo.

Ad Benedictus, Antiphona.
Reversus est Angelus, qui loquebatur in me; & suscitavit me, quasi virum qui suscitatur a somno suo.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis; & eorum semper protectione defendi, & æternâ societate gaudere, Per Dôminum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Laudemus Dôminum. **Capitulum.** Ecce ego mittam Angelum, ut supra.

Ps. br. Stetit Angelus. **Y.** Juxta aram templi. Stetit. **Y.** Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta Glória Patri. Stetit. **Y.** Ascendit fumus aromatatum in conspectu Dômini. **R.** De manu Angeli.

Ad Sextam, Antiphona.
Angeli eorum.

Capitulum. *Exodi 23. d*
Nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo.

Ps. br. Ascendit fumus aromatatum in conspectu Dômini. Ascendit. **Y.** De manu Angeli. In conspectu Glória Patri. Ascendit. **Y.** In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. **R.** Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomen tuo.

Ad Nonam, Antiphona.
Laudate Deum.

Capitulum. *Exodi 23. e*
Quod si audieris vocem ejus, & feceris omnia quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetque te Angelus meus.

Ps. brève. In conspectu Angelorum. **Y.** Psallam tibi Deus meus. In conspectu. **Y.** Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomen tuo. Psallam Glória Patri.

In conspectu. **Y.** Adorate Deum. **R.** Omnes Angeli ejus.

In secundis Vesperis, Antiphona.
Angelis suis, cum reliquis de Laudibus. 667. Psalmus Dixit Dôminus, cum reliquis de Dominica, 94. & loco ultimi, Psalmus Confitebor tibi Dômine in toto corde meo: quoniam. 105.

Capitulum, Hymnus, & Y. ut supra in primis Vesperis. 667.

Ad Magnificat, Antiphona.
Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Oratio ut supra.

DIE IV. OCTOBIS.

In Festo S. Francisci Confessoris Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, IV. præter ea quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis tuam veteris prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrèna despiciere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dôminum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Sapientiae. Justus si morte præoccupatus de Communi Confessoris non Pontificis. Iviij.

In secundo Nocturno.

LECTIO I.

Franciscus, Assisii in Umbria natus, patris exemplum secutus, à prima ætate mercatorem fecit. Qui quodam die pauperem, pro Christi amore flagitantem pecuniam, cum præter contuetudinem repulisset, repente eo facto commotus, largè ei misericordiam impertivit: & ex eo die Deo promisit, se nemini unquam poscenti eleemosynam negaturum. Cum vero post in gravem morbum inci-

cidisset, ex eo aliquando confirmatus, cepit ardentius colere officii charitatis. Quâ in exercitatione tantum profecit, ut Evangelicæ perfectionis cupidus, quidquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquis pater, eum ad Assinatem Episcopum duxit, ut coram illo bonis cederet paternis: qui rejectis etiam vestibus, patri concessit omnia, illud subiungens, sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi: Pater noster qui es in cœlis.

Honestum fecit illum Dôminus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tabavit illum: **Et dedit illi claritatem æternam.** **Y.** Justum deduxit Dôminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. **Et dedit.**

LECTIO II.

Cum autem illud ex Evangelio audisset: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta: sibi eam regulam servandam proposuit. Itaque detractis calceis, & unâ contentus tunicâ, cum duodecim sociis adhibisset, Ordinem Minorum instituit. Quare Romam venit anno salûtis millésimo ducentésimo nono, ut sui Ordinis regula ab Apostolica Sede confirmaretur. Quem cum accedentem ad se Summus Pôntifex Innocentius Tertius rejectisset; quod in somnis postea sibi, ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere visus esset, conquistum accersiri jussit: benignèque accipiens, omnem ejus institutorum rationem confirmavit. Franciscus igitur, dimissis in omnes orbis terræ partes Fratribus ad prædicandum Christi Evangelium, ipse cupiens sibi aliquam dari mar-

tyri occasionem, navigavit in Syriam: ubi à rege Soldano liberallissime tractatus, cum nihil proficeret, rediit in Italiam.

Amanavit eum Dôminus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. **Et ad portas paradisi coronavit eum.** **Y.** Induit eum Dôminus loriam fidei, & ornavit eum. **Et ad portas.**

LECTIO III.

Multis igitur extractis suæ familiaris domiciliis, se in solitudinem montis Alverni contulit: ubi quadraginta dierum propter honorem Sancti Michaelis Archangeli, jejuniis inchoato, festo die Exaltationis Sanctæ Crucis ei Séraphim Crucifixi effigiem inter alas continens apparuit: qui ejus & manibus & pedibus & lateri vestigia clavorum impressit: quæ Sanctus Bonaventura, cum Alexandri Quarti Summi Pontificis prædicationi intercesset, narrasse Pontificem à se visa esse, litteris commendavit. His insignibus summi in eum Christi amoris, maximam habebat omnium admirationem. Ac biennio post graviter ægrotans, defertur voluit in Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angolorum: ut ubi gratiæ spiritum à Deo acceperat, ibi spiritum vitæ redderet. Eo in loco Fratres ad pauperitatem ac patientiam, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem servandam cohortatus, Psalmum illum pronuntiatis, Voce mea ad Dôminum clamavi; in eo versiculo, Me expectant justi, donec retribuas mihi, efflavit animam quarto Nonas Octobris. Quem miraculis clarum Gregorius Nonus Pôntifex Maximus in Sanctorum numerum scripsit.

Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrèdere in requiem meam: **Et tunc vidi justum coram me ex omnibus gen-**

géntibus. *W.* Iste est qui contemp-
sit vitam mundi, & pervénit ad cœ-
lestia regna. Quia te vidi. Glória
Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secun-
dum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 11. d.
In illo tempore: Respondens Je-
sus dixit: Confi-teor tibi Pater,
Dómine cœli & terræ: quia abscon-
disti hæc a sapiéntibus, & pruden-
tibus, & revelasti ea parvulis. Et
rétiqua.

Homilia Sancti Augustini
Episcopi.

Sermone 10. de Verbis Domini.

Venite ad me omnes, qui la-
borátis. Quare enim omnes
laborámus, nisi quia sumus hó-
mines mortáles, frá-giles, infirmi,
lútea vasa portátes, quæ faciunt
invenic angústias? Sed si angus-
tiántur vasa carnis, dilatántur spa-
tia charitátis. Quid ergo dicit, Ve-
nite ad me omnes, qui laborátis,
nisi ut non laborétis? Denique pro-
missio ejus in promptu est, quón-
iam laborántes vocávit. Quærent
fortè, quæ mercède vocáti sunt.
Et ego vos, inquit, reficiam. Tól-
lite jugum meum super vos, & dis-
cite à me, non mundum fabricáre,
non cuncta visibilia & invisibilia
creáre, non in ipso mundo mirabili-
lia facere, & mórtuos suscitáre:
sed, Quóniam mitis sum & húmilis
corde.

R. Iste est qui ante Deum magnas
virtutes operátus est, & omnis terra
doctrinã ejus repléta est. *W.* Ipse
intercedat pro peccátis ómnium po-
pulórum. *W.* Ecce homo sine que-
rela, verus Dei cultor, abstinens
se ab omni opere malo, & perma-
nens in innocéntia sua. Ipse inter-
cedat.

Lectio vij.

Magnus esse vis? à mínimo
incipere. Cógitas magnam fá-
bricam constrúere celsitudinis? de
fundaménto prius cógita humilitá-
tis. Et quantam quisque vult & dis-
pónit superimponere molem ædi-
ficii, quantò erit majus ædificium,
tantò altiùs fodit fundaméntum.
Et fabrica quidem cum constrúitur,
in supérna consúrgit: qui autem
fodit fundaméntum, ad ima depri-
mitur. Ergo & fabrica ante celsitu-
dinem humiliátur, & fastigium post
humiliatiónem erigitur.

R. Sint lumbi vestri præcincti, &
lucérnæ ardéntes in manibus ves-
tris: *W.* Et vos similes hominibus ex-
pectántibus dónum suum, quan-
do revertátur à nuptiis. *W.* Vigilate
ergo, quia nescitis quâ horâ Dó-
minus vester ventúrus sit. Et vos
similes. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Quod est fastigium construen-
dæ fabricæ, quam molimur?
quò perventórum est cacú-
men ædificii? Cito dico, usque ad
conspéctum Dei. Vidétis quam ex-
celsum est, quanta res est conspi-
cere Deum. Qui desiderat, & quod
dico, & quod audit intelligit. Pro-
mittit nobis conspéctus Dei, ve-
ri Dei, summi Dei. Hoc enim bo-
num est, vidéntem vidére. Nam
qui colunt falsos deos, fácilè il-
los vident: sed eos vident, qui
oculos habent, & non vident. No-
bis autem promittitur visio Dei vi-
véntis & vidéntis.

Te Deum laudámus. 12.

In secundis Vesperis fit Com-
memoratio SS. Placidi & Sociorum
Martyrum.

DIE V. OCTOBRIS.

Sanctorum Placidi & Sociorum
Martyrum.

Antiphona. Istórum est enim reg-
num

Oratio.

Sancti Brunonis Confessoris tui,
quæsumus Dómine, interces-
sionibus adjuvémur: ut qui ma-
jestátem tuam graviter delinquen-
do offéndimus, ejus méritis & pré-
cibus nostrórum delictórum veniam
consequámur. Per Dóninum.

In primo Nocturno, Lectiones de
Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Bruno Carthusiænæ Religiónis
institútor, Colóniæ Agrippi-
næ natus est. Ab ipsis incunabu-
lis spécimen futuræ sanctitátis præ-
ferens, morum gravitáte, pueri-
lia illius ætatis, divinã favente
grátia, declinans, ad eò excellit,
ut jam inde monachórum patèr,
vitæque anachoréticæ futurò ins-
tauratór agnoscerétur. A parénti-
bus, genere ac virtute claris, Lu-
tétiam Parisiórum missus, tantum
ibi in Philosophiæ ac Theologiæ
studiis profecit, ut Doctóris ac
Magistri munus in utrâque facultá-
te sit adéptus: nec multò post, ob
egregias ipsius virtutes, Ecclésiæ
Rheménsis Canonicatù potuit.

R. Honestum fecit illum Dóninus,
& custodivit eum ab inimicis, & à
seductóribus tævitatibus. *W.* Et de-
dit illi claritátem ætérnam. *W.* Jus-
tum deduxit Dóninus per vias rec-
tas, & osténdit illi regnum Dei. Et
dedit.

Lectio v.

Elâpsis aliquot annis, cum sex
annis familiaribus mundo re-
nóntians, Sanctum Hugónem Epis-
copum Gratianopolitánam adit.
Qui causã eórum advéntus cógno-
vit, eos eódemque intelligenes esse, quos
eádém nocte veluti septem stellas
ad suos pedes corruentes in somnis
viderat, montes suæ Diocésis as-
périmos, quos Carthusianos ap-
pel-

ant cœlórum, qui contempserunt
vitam mundi, & pervenerunt ad
præmia regni, & laverunt stolas
suas in sanguine Agni. *W.* Lætami-
ni in Domino & exultate justi.

R. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

Eus, qui nos concédis Sanc-
tórum Mártýrum tuórum,
Placidi & Sociórum ejus nata-
litiã cólere: da nobis in ætérna
beatitudine de eórum societáte gau-
dère. Per Dóninum nostrum Jesum
Christum.

Lectio iij.

Plácidus Romæ, Tertúlio patre
in primis nobili natus, puer
Deo oblátus, & Sancto Benedicto
tráditus, tantum ejus disciplinã, &
Monásticæ vitæ institútis profecit,
ut inter præcipuos illius discipulos
numerétur. Ab eo in Siciliam mis-
sus, Monástérium & Ecclésiã in
honórem Sancti Joánnis Baptiste
prope Messánæ portum construxit,
ubi cum Mónachis admirabili san-
citate vixit. Ejus viséndi causã cum
eò venissent Eutychiùs & Victori-
nus illius fratres, & Flávia virgo sor-
or, eódem tempore illuc appulit
imánis quidam piráta, Manúcha
nómine: qui capto Monástério, cum
Plácidum & cæteros nullo modo ad-
ducere potuisset, ut Christum ne-
garent, ipsum fratresque illius ac
sorórem crudeliter necári jussit.
Cum quibus etiam Donátus, Fir-
mátus Diáconus, Faustus, aliique
triginta Mónachi, martyrii agónem
felicitè consummarunt tertio
Nonas Octóbris, anno salutis quin-
gentésimo trigésimo nono.

Te Deum laudámus. 12.

DIE VI. OCTOBRIS.

In Festo S. Brunonis Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris,
non Pontif. iv. præter sequentia.

pellant, illis concessit. Illic Bruno cum Sociis, ipso Hugone comitante, secédens, cum per aliquot annos eremiticam vitam egisset, ab Urbano Secundo, qui ejusdem Brunonis discipulus fuerat, Romanum accersitur. Ejus consiliis ac doctrinâ Pontifex, in tot illis Ecclesiis calamitatibus, per aliquot annos usus est, donec Bruno, recusato Rhegiénsi Archiepiscopatu, discedendi facultatem obtinuit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, **V.** Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loriam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

Igitur solitudinis amore eremum quandam apud Squillacam in Calabria finibus petiit. Quo in loco, cum ipsum orantem Rogérius Comes Calabriae inter vendendum, latrantibus ad illius speluncam canibus, reperisset, sanctitate viri permotus, illum ac socios fovere, & colere impense cepit. Nec liberalitas sine premio fuit. Cum enim idem Rogérius Capuam visideret, eumque Sergius quidam excubiarius magister prodere statuisset, Bruno adhuc in dicta eremo vivens, in somnis illi omnia aperiens, ab imminenti periculo Comitum liberavit. Tandem virtutibus ac meritis plenus, nec sanctitate minus, quam doctrinæ famam clarus, obdormivit in Domino; sepultusque est in Monasterio Sancti Stephani ab ipso Rogério constructo, ubi hæcenus honorifice colitur.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: **V.** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit

vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Sicut lumbi vestri præcincti, **ve Communi Confessoris non Pontificis.** lxj.

In ij. Vesperis fit Commem. da sequenti.

DIE VII. OCTOBRIIS.

S. Marci Papæ & Confessoris.

Añã. Sacerdos & Pontifex, & virtutum õpifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum. **V.** Amavit eum Dominus, & ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

Exaudi Domine preces nostras: & interveniente beato Marco Confessore tuo atque Pontifice, indulgentiam nobis tribue placatus & pacem, Per Domini num.

Et fit Commemor. SS. Martyrum Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apuleii. Antiphona. Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. **V.** Letamini in Domino & exultate justi. **R.** Et gloriâmini omnes recti corde.

Oratio.

Sanctorum Martyrum tuorum nos, Domine, Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apuleii, beata merita prosequantur: & tuo semper faciant amore ferventes. Per Dominum.

Lectio ij.

Marcus Romanus Constantino Magno Imperatore Pontifex, instituit, ut Episcopus Ostiensis, a quo Romanus Pontifex consecratur, pallio uteretur. Duas Romæ Basilicas edificavit, alteram in Urbe, alteram via Ardeatina: quas Constantinus auctas, magnis muneri-

ri-

ribus exornavit. Vixit in Pontificatu menses octo, sepultusque est in cœmeterio Balbinæ.

Te Deum laudamus. 12.

In Laudibus pro Commemoratione SS. Sergii, &c. Martyrum, Antiphona. Vestri capilli cæpitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passeribus meliores estis vos. **V.** Exultabunt Sancti in gloria. **R.** Letabuntur in cubilibus suis.

Oratio. Sanctorum Martyrum, ut supra.

DIE VIII. OCTOBRIIS.

In Festo Sanctæ Birgittæ Viduæ. Duplex.

Omnia de Communi Sanctarum, nec Virginum nec Martyrum, lxxx. præter ea quæ hic habentur.

Oratio.

Domine Deus noster, qui beatae Birgittæ per Filium tuum unigenitum secreta cœlestia revelasti: ipsius pia intercessione da nobis famulus tuis, in revelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere letantes. Per eundem Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Birgitta in Suecia illustribus & piis parentibus orta, sanctissime vixit. Cum adhuc in utero gestaretur, a naufragio propter eam mater erepta est. Decennis post eundem de passione Domini sermonem, sequenti nocte Jesum in cruce, recentis sanguine perfusum vidit, & de eadem passione secum loquentem: quo ex tempore in ejusdem meditatione ita afflicebatur, ut de ea sine lacrymis cogitare deinceps nunquam posset.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: **V.** Et deducet te mirabiliter dextera tua.

V. Spécie tuâ & pulchritudine tuâ

Pars Festiva.

intende, prospere procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

Ulsoni Nefficæ Principi in matrimonium tradita, virum ipsum ad pietatis officia, tum optimis exemplis, tum efficacibus verbis adhorrata est. In filiorum educatione piissima. Pauperibus, & maxime infirmis, domo ad id muneris dicata, inserviebat quam diligentissime, illorum pedes solita lavare, & osculari. Cum autem unâ cum viro suo rediret Compostellâ, ubi Sancti Jacobi Apostoli sepulchrum visitaverant, & Atrebatii Ulfo graviter aegrotaret, Sanctus Dionysius Birgittæ noctu apparuit, & de mariti salute, aliisque de rebus, quæ futuræ erant, præmonuit.

R. Dilixisti justitiam, & odisti iniquitatem: **V.** Propterea unxit te Deus Deus mus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio vj.

Viro Cisterciensi Monacho facto, & paulo post defuncto, Birgitta, audita Christi voce in somnis, arctiorem vitæ formam est aggressa. Cui deinde arcana multa fuerunt divinitus revelata. Monasterium Vastanense sub régula Sancti Salvatoris, ab ipso Domino accepta, instituit. Romam Dei jussu venit, ubi plurimos ad amorem divinum vehementer accendit. Inde Jerusalem petiit, & iterum Romam: qua ex peregrinatione cum in febrim incidisset, gravibus per annum integrum afflictata morbis, cumulatâ meritis, prænuntiatio mortis die, migravit in celum. Corpus ejus ad Vastanense Monasterium translatum est; & miraculis illustrem Bonifacius Nonus in Sanctorum numerum retulit.

R. Fallax gratia, & vana est pulchritudo.

Vv

chri-

chrifto: * Mólter timens Deum, ipsa laudabitur. *Y.* Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium. Simile est regnum colorum thesaurorum, de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum. LXXXVII.

In secundis Vesperis fit Commemoratio sequentis.

DIE IX. OCTOBRIS.

In Festo SS. Martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii. Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, xxx. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui hodiernâ die beatorum Dionysium Martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiâ in passione roborasti; qui que illi ad prædicandum Gêntibus glóriam tuam Rústicum & Eleutherium sociâre dignatus es: tribue nobis quesumus, eorum imitatione, pro amore tuo prospera mundi despiciere, & nulla ejus adversa formidare. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

Dionysius Atheniensis, unus ex Areopagitis iudicibus, vir fuit omni doctrinæ genere instructus. Qui cum adhuc in Gentilitatis errore versaretur, eo die quo Christus Dóminus cruci affixus est, solem præter naturam defecisse animadvertens, exclamasse traditur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi máchina dissolvetur. Sed cum Paulus Apóstolus veniens Athenas, & in Areopagum ductus, rationem reddidisset ejus doctrinæ, quam

prædicabat, affirmans Christum Dóminum resurrexisse, & mortuos omnes in vitam redituros esse: cum alii multi, tum ipse Dionysius in Christum crederet.

R. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illasi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in Mari rubro via sine impedimento. *Y.* Quóniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra.

LECTIO V.

Itaque & baptizatus est ab Apóstolo, & Atheniensem Ecclesiæ præfectus. Qui cum postea Romanam venisset, à Clemente Pontifice missus est in Galliam prædicandi Evangelii causâ. Quem Lutetiam usque Parisiorum Rústicum Præbyter, & Eleutherius Diaconus prosecuti sunt: ubi à Fescennio Præfecto, quod multos ad Christianam religionem convertisset, ipse cum Sociis virgis cæsus est: cumque in prædicatione Christianæ fidei constantissimè perseveraret, in articulum subjecto igne injicitur, multisque præterea suppliciis unâ cum Sociis cruciatur.

R. Verbera carnicum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut hæredes fierent in domo Dómini. *Y.* Tradidérunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut hæredes.

LECTIO VI.

Sed ea tormentorum gênera omnibus forti ac libenti animo perferentibus, Dionysius annum agens supra centesimum, cum reliquis securi percussus septimo Idus Octobris. De quo illud memoriæ præditum est, abscessum suum caput sustulisse, & progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse. Libros scripsit admirabiles, ac plane

LECTIO VII.

nè cœlestes, de divinis nominibus, de cœlesti & ecclesiastica hierarchia, de mystica Theologia, & alios quosdam.

R. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dóminus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * Quóniam donum & pax est electis Dei. *Y.* Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

LECTIO sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VIJ. Cap. 12.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. in Lucam, cap. 52.

DE hoc fermento Apóstolus præcipit: Itaque epulémur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiae, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Nam sicut modicum fermentum totam farinam, cui injicitur, massam corrumpit, universamque mox conspersiorem suo sapore commaculat: sic nimirum simulatio, cujus semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate & veritate fraudabit. Est ergo sensus: Attendite ne æmulémini simulatores, quia venit profectio tempus, in quo & vestra virtus ómnibus, & eorum reveletur hypocrisis.

R. Propter testamentum Dómini, & leges paternas Sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. *Y.* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Quia unus.

Verum quod sequitur: Quóniam que in ténébris dixistis, in lumine dicentur: non solum in futuro, quando cuncta eórdium abscondita preferentur ad lucem, sed & in præsentí tempore potest congruenter accipi: quóniam quæ inter ténébras quondam pressuratum, carcerumque umbras, vel locuti vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificata per orbem Ecclesiæ lectis eórum actibus publicè prædicantur. Ne terreámini ab his qui occidunt corpus. Si persecutores Sanctórum, occisis corpóribus non habent amplius quid contra illos agant; ergo supervacua sunt insania, qui mortua Martyrum membra feris, avibusque discernenda projiciunt, cum nequaquam omnipotentiæ Dei, quin ea resuscitando vivificet, obsistere possint.

R. Sancti mei qui in carne positi, certamen habuistis: * Mercedem labóris ego reddam vobis. *Y.* Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Glória Patri. Mercedem.

LECTIO IX.

Duo autem sunt gênera persecutorum: unum palam ævientium, alterum fictè fraudulenterque blandientium. Contra utrumque nos munire atque instituire volens Salvator, & supra ab hypocrisi Pharisæorum attendere, & hic à carnificum cæde præcipit non timere: quia videlicet post mortem nec horum crudelitas, nec illorum valeat simulatio durare. Nonne quinquæ passeris venient dipondo? Si minutissima, inquit, animalia, & quæ quolibet per aëra feruntur volatilia, Deus oblivisci non potest; vos, qui ad imaginem facti estis Creatoris, non debetis terreri ab his, qui occidunt corpus: quia qui

Vv 2

ir-

irrationabilia animalia gubernat, rationabilia curare non desinit.

Te Deum laudamus. 12.

Vesperæ, à Capitulo de seq. cum Commemor. præced.

DIE X. OCTOBRIS.

In Festo S. Francisci Borgiæ
Confessoris.
Semiduplex.

Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, *lv.* præter ea quæ sequuntur; & in Hymno iste Confessor, dicitur: Hac die lætus meruit supremis laudis honores.

Ad Magnificat. Antiphona.

Similabo eum viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram. *v.* Amavit eum Dominus, & ornavit eum. *R.* Stulam gloriæ induit eum.

Oratio.

Domine Jesu Christe, veræ humilitatis & exemplar, & primum: quæsumus, ut sicut beatum Franciscum in terreni honoris contemptu imitatorum tui gloriosum effecisti, ita nos ejusdem imitationis, & gloriæ tribuas esse consortes. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO *lv.*

Franciscus Gándiæ Dux quartus Joanne Borgiæ, & Joannæ Aragoniæ Ferdinandi Catholici neptæ genitus, post puerilem aetatem inter domesticos vitam innocentiam & pietatē transactam, in aula primū Caroli Quinti Cæsaris, mox in Cataloniæ administratione admirabilior fuit christiannæ virtutis, & vitæ austerioris

exemplis. Ad Granatense sepulchrum Isabellam Imperatricem cum detulisset, in ejus vultu fœdē commutato, mortalium omnium caducitatem relegendis, voto se adstrinxit, rebus omnibus, cum primū liceret, abjectis, regum Regi unicē inserviendi. Inde tantum virtutis incrementum fecit, ut inter negotiorum turbas religiosæ perfectionis simillimam imaginem referens, miraculum principum appellaretur.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductōribus tutavit illum: *v.* Et dedit illi claritatem æternam. *v.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

LECTIO *v.*

Mortuā Eleonōrā de Castro cōjuge, ingressus est Societatem Jesu, ut in ea latere securus, & præclūderet dignitatibus aditum, interposita voti religione: dignus, quem & viri principes complures in amplectendo severiori instituto fuerint secuti, & Carolus Quintus ipse in abdicando Imperio hortatorem sibi, aut duce[m] extitisse non diffiteretur. In eo arctioris vitæ studio Franciscus jejuniis, catenis ferreis, asperissimo cilicio, cruentis, longisque verberationibus, somno brevissimo, corpus ad extremam usque maciem redēgit; nullis præterea parcens laboribus ad sui victoriam, & ad salutem animarum. Tot itaque instructus virtutibus, à Sancto Ignatio primū Generalis Commissarius in Hispaniis, nee multo post Præpositus Generalis tertius à Societate universa, licet invidus, eligitur. Quo in munere principibus, ac Summis Pontificibus prudentiā, ac morum sanctitatē apprime charus

rus, præter complura vel cōdita, vel aucta ubique domicilia, Socios in regnum Poloniæ, in insulas Oceani, in Mexicanam & Peruanam provincias invexit: missis quoque in alias regiones Apostolicis viris, qui prædicatione, sudoribus, sanguine, fidem Catholicam Romanam propagarunt.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, *v.* Et ad portas paradisi coronavit eum. *v.* Induit eum Dominus loriceam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

LECTIO *vi.*

DE se ita demissè sentiebat, ut peccatoris nomen sibi proprium faceret; Romanam purpuram à Summis Pontificibus sæpius oblata[m], invicta humilitatis constantia recusavit. Verrere sordes, emendicare victum ostiā[m], ægris ministrare in nosocomiis, mundi ac sui contemptor, in deliciis habuit. Singulis diebus multas continenter horas, frequenter octo, quandoque decem dabat cœlestium contemplationi. Cœntes quotidie de genu Deum adorabat. Numquam à sacrificando abstinuit: probebatque sese divinus, quo aestuabat, ardor; ejus vultu sacram Hóstiam offerentis, aut concionantis interdum radiante. Sanctissimum Christum Corpus in Eucharistia latens, ubi asservaretur, instinctu cœlesti sentiebat. Cardinali Alexandrino, ad conjungendos contra Turcam Christianos principes, legatō comens additus à beato Pio Quinto, arduum iter, fractis jam penè viribus, suscepit ex obedientia, in qua & vitæ cursum Romæ, ut optaret, feliciter consummavit, anno ætatis sue sexagesimo secundo, salūtis verò millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. A Sancta

Theresia, quæ ejus utebatur consiliis, vir sanctus; à Gregorio Decimotertio, fidelis administer appellatus: demum à Clemente Decimo pluribus, magnisque clarus miraculis, in Sanctorum numerum adscriptus.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: *v.* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. *v.* Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Hieronymi Presbyteri in Evangel. Ecce nos reliquimus omnia, ut in Comuni Abbatum. *lxv.*

DIE XIII. OCTOBRIS.

In Festo Sancti Eduardi Regis
Confessoris.
Semiduplex.

Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, *lv.* præter ea quæ sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

Oratio.

Deus, qui beatum Regem Eduardum Confessorem tuum æternitatis gloriā coronasti: fac nos quæsumus ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cœlis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO *lv.*

Eduardus cognomento Confessor, nepos Sancti Eduardi Regis & Martyris, Anglo Saxonum Regum ultimus (quem futurum Regem Britualdo viro sanctissimo in mentis excessu Dominus demonstravit) decennis à Danis Angliam

gliam vastantibus quæsitus ad necem, exulare cogitur apud avunculum Normanniæ Ducem: ubi in mediis vitiorum illicebri talem se exhibuit integritate vitæ, morumque innocentia, ut omnibus admirationi esset. Eluxit in eo vel tum mira pietas in Deum, ac res divinas, fuitque ingenio mitissimo, atque ab omni dominandi cupiditate alieno; cuius ea vox fertur: Malle se regno carere, quod sine cæde, & sanguine obtineri non possit.

• Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: • Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Exinctis mox tyrannus, qui fratribus suis vitam, & regnum eriperant, revocatur in patriam: ubi summis omnium votis, & gratulatione regno potitus, ad hostilium irarum delenda vestigia totum se convertit, à sacris exoritur ad Divorum templis: in quorum alia à fundamentis erexit, alia refecit, auxitque redditibus ac privilegiis; in eam curam potissimum intentus, ut rethoresceret collapsa Religio. Ab aula procæribus compulsum ad nuptias, constans est assertio scriptorum, cum virgine sponsa virginilitatem in matrimonio servasse. Tantus in eo fuit in Christum amor & fides, ut illum aliquando inter Missarum solœnnia videre meruerit blando vultu, & divinâ luce fulgentem. Ob profusam charitatem, orphanorum & egenorum pater passim dicebatur, nunquam letior, quam cum regios thesauros exhausisset in pauperes.

• Amavit eum Dominus, & ornâvit eum: stolam gloriæ induit eum, & ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorricam fidei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Prophetia dono illuistris, de Angliæ futuro statu multa cœlitus prævidit; & illud in primis memorabile, quod Sweyni Danorum regis in mare demersi mortem, dum Angliam invadendi animo classem conscenderet, eodem quo accidit momento, divinitus intellexit. Joannem Evangelistam mirificè coluit, nihil cuiquam, quod ejus nomine peteretur, negare solitus. Cui olim sub læcra veste suo nomine stipem roganti, cum nummi desissent, detractum ex digito anulum porrexerat, quem divus non ita multo post Eduardo remisit, unâ cum nuntio secuturæ mortis. Quare Rex, indictis pro se precibus, ipso ab Evangelista prædicto die, piissimè obiit, Nonis videlicet Januarii, anno salutis millésimo sexagésimo sexto; quem sequenti sæculo, Alexander Papa Tertius miraculis clarum, Sanctorum fastis adscripsit. At ejus memoriâ Innocentius Undecimus officio publico per universam Ecclesiâ eo die celebrari præcepit, quo annis ab obitu sex & triginta translatum ejus corpus incorruptum, & suavem spirans odorem, repertum est.

• Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingeredere in requiem meam: • Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te Gloriam Patri. Quia te.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium, ut in Com.

Communi Confessoris non Pontificis. **Lxj.**
In secundis Vesperis, à Capitulo de sequenti, cum Commemoratione S. Eduardi.

DIE XIV. OCTOBRIS.

In Petro S. Callisti Papæ & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, xvij.

Oratio.

Deus, qui nos cœnspicis ex nostra infirmitate deficere: ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exemplam restaura. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno;

Lectio iv.

Callistus Romanus præfuit Ecclesiæ Antonino Heliogabalo Imperatore. Constituit Quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur. Edificavit Basilicam Sanctæ Mariæ trans Tiberim: & in via Appia vetus cœmeterium ampliavit, in quo multi sancti Sacerdotes & Martyres sepulti sunt: quod ab eo Callisti cœmeterium appellatur. Sedit annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in cœmeterium Calepodii viâ Auréliâ, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris.

• Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum:

• Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Sermo Sancti Augustini Episcopi. *Sermone 44. de Sanctis.*

Lectio v.

Triumphalis beati Martyris Callisti dies hodiè nobis anniversaria celebritate recurrit: cuius glorificationi sicut congaudet Ecclesiâ, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatiatur, & conglorificabimur. In cuius glorioso agone duo nobis præcipue considerata sunt: indurata videlicet tortoris savitia, & Martyris invicta patientia. Savitia tortoris, ut eam detestemur: patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversus malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantiis: quoniam tamquam fœnum velociter aréscent. Quòd autem adversus malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

• Desiderium animæ ejus tribuisti ei Dòmine, • Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

• Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio vi.

Coronata itaque est beati Martyris patientia, mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, altè

retinebat: Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc & leve nostræ tribulationis, æternæ gloriæ pondus operatur in cælis. Hujus promissionis amore à terrenis suspensus, & prægestatâ superne suavitatâ dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

B. Stollâ jucunditatâ induit eum Dóminus: Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dóminus pane vitæ & intellectus: & aquâ sapientiæ salutâris potâvit illum. Et coronam. Glória Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio vij.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non sciétur. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.
Comment. in Matth. can. 10.

post médium.

Dominus diem judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatâ nostræ conscientiam prode: & ea quæ nunc occulta existimantur, luce cogitationis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicii nulla hæc fuisse, atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicite super

tecta. Non legimus Dóminum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse: sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, & verbum ejus infidelibus nox est.

B. Corona aurea super caput ejus, Expressa signo sanctitatâ, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. **V.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio vij.

Itaque id quod à se dictum est, cum libertate fidei & confessionis vult esse loquendum. Idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari jussit in lumine: ut quæ secretum aurium commissa sunt, super tecta, id est, excelsio loquentium præconio audiantur. Constantè enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum: non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est: sed timentes potius Deum, cui perdendæ in gehenna & animæ & corporis sit potestas.

B. Hic est verè Martyr, qui pro Christi nómine sanguinem suum fudit: Qui minas júdicium non timuit, nec terrénæ dignitatâs gloriám quasivit, sed ad cœlestia regna pervenit. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

Nolite timere eos qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimentæ carnis admittendus est dolor: quan-

do

do pro naturâ suæ atque originis conditione resoluta, in substantiam spirituális animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam conditionem, quâ teneremur, adjecit: negaturum se eum Patri in cælis, qui se hominibus in terra negasset: eum porro qui confessus coram hominibus se fuisset, à se in cælis confitendum: qualisque nos nómis sui testes hominibus fuissimus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros.

Te Deum laudâmb. 12.

Vesperæ dicuntur de S. Theresia Virgine, cum Commemoratione Sancti Callisti.

DIE XV. OCTOBRI.

In Festo Sanctæ Theresiæ Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum lxvij. præter ea quæ hic ponuntur propria.

Ad Vesperas, Capitulum.

2. Cor. 10. d

Fratres, Qui gloriatur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

Hymnus.

Regis supérni nuntia
Domum patérnam deseris,
Terris Thersa barbaris
Christum datúra, aut sanguinem.
Sed te manet suavior
Mors, pœna poscit dulcor:
Divini amoris cúspide.
In vulnus icta concides.
O charitatâs victima!
Tu corda nostra cóncrema,
Tibique gentes creditas
Averni ab igne libera,
Sit laus Patri cum Filio,

Et Spiritu Paráclito,
Tibique sancta Trinitas,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

V. Spécie tua & pulchritudine tua.
R. Intende, prospère procede, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona.

Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dóminus præparavit in ætérnum.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutâris nos: ter: ut sicut de beatâ Theresiæ Virginis tuæ festivitatis gaudemus; ita cœlestis ejus doctrinæ pábulo nutriamur, & piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Ecce fit Commemor. Sancti Callisti Papæ & Martyris, Antiphona. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. **V.** Justus, ut palma florebit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio. Deus, qui nos cónspicis, ut suprâ. 679.

Ad Matutinum, Invitorium.
Regem Virginum Dóminum. **V.** Venite, adorémus. Psalmus. Venite, exultémus. 1.

Hymnus.

Hæc est dies, quâ cándidæ
Instar columbæ, Cœlitum
Ad sacra templa spiritus
Se transtulit Theresiæ.
Sponsique voces audiit
Veni soror de vértice
Carméli ad Agni nuptias:
Veni ad coronam gloriæ.
Te sponse Jesu Virginum
Beati adórent Ordines,
Et nuptiali canticó
Laudent per omne sæculum.
Amen.

An-

Antiphonæ, Psalmi, *XX. & RB.*
Nocturnorum de Communi Virgi-
num, *IXIX.*

In primo Nocturno, Lectiones de
Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

Theresia Virgo nata est Abulæ
in Hispania, paréntibus tum
genere, tum pietate præclaris. Ab
iis divini timoris lacte educata,
admirandum futuræ sanctitatis in
tenerrima adhuc ætate spécimen
dedit. Nam cum Sanctorum Márty-
rum acta perlegeret, aded in
ejus meditatione sancti Spiritus
ignis exarsit, ut domo fugiens, in
Africam trajiceret, ubi vitam pro
glória Jesu Christi & animarum sa-
lute profunderet. A patruo revoca-
ta, ardens martyrii desiderium
eleémosynis, aliisque piis operibus
compensavit, júgibus lacrymis de-
plorans, optimam sibi sortem fuisse
præceptam. Mortuâ matre, cum
à beatissima Virgine peteret, ut
matrem esse monstraret, pii voti
compos effecta est; semper perinde
ac filia patrocinio Deiparæ per-
fruens. Vigésimum ætatis annum
agens, ad Moniales Sanctæ Mariæ
de Monte Carmelo se contulit: ibi
per duodeviginti annos gravissimis
morbis & variis tentationibus vexata,
constantissime méruit in castris
Christiænæ penitentiæ nullo refecta
pábulo cœlestium eorum consola-
tionum, quibus solet etiam in ter-
ris sanctitas abundare.

R. Propter veritatem, & mansue-
tudinem, & justitiam: **V.** Et deducet
te mirabiliter dextera tua.
V. Spécie tua & pulchritudine tua
intende, prospere procede, & regna.
Et deducet.

LECTIO V.

Angelicis ditata virtutibus, non
modo propriam, sed publi-
cam etiam salutem sollicita chari-
tate curavit. Quare severiorem vé-
terum Carmelitarum regulam, Deo
afflante, & Pio Quarto approban-
te, primùm mulieribus, deinde vi-
ris observandam proposuit. Efflu-
ruit in eo consilio omnipotens mise-
rentis Domini benedictio: nam duo
supra triginta Monasteria inops
Virgo potuit edificare, omnibus
humanis destituta auxiliis, quinim-
mo adversantibus plerumque sæculi
principibus. Infidelium & hereti-
corum tenebras perpetuis deflebat
lacrymis, atque ad placandam di-
vinæ ultionis iram voluntarios pró-
prij corporis cruciatus Deo pro eorum
salute dicebat. Tanto autem
divini amoris incendio cor ejus con-
flagravit, ut mérito viderit Ange-
lum ignito jáculo sibi præcordia
transverberantem; & audierit Chris-
tum datâ dextera dicentem sibi:
Deinceps ut vera sponsa meum
zelâbis honorem. Eo consiliante,
maximè arduum votum emisit, effi-
ciendû semper quidquid perfectius
esse intelligeret. Multa cœlestis sapientie
documenta conscripsit, qui-
bus fidelium mentes ad superne patriæ
desiderium maximè excitantur.

R. Dilexisti justitiam, & odisti in-
iquitatem: **V.** Propterea unxit te
Deus Deus tuus oleo lætitiæ.

V. Propter veritatem, & mansue-
tudinem, & justitiam. Propterea,

LECTIO VI.

Cum autem assidua ederet exem-
pla virtutum, tam anxio casti-
gandi corporis desiderio assua-
bat, ut, quamvis secus suaderent
morbi, quibus afflictabatur, corpus

Ad Laudes, Hymnus ut in primis
Vesperis, Reliqua de Communi Vir-
ginum, *IXXV.* Oratio. Exaudi nos
Deus salutaris noster, ut sup. 681.

In II. Vesperis, omnia ut in pri-
mis.

V. Diffusa est grátia in labiis tuis.
R. Propterea benedixit te Deus in
æternum.

DIE XVII. OCTOBIS.

In Festo S. Hedwigis Viduæ.

Semiduplex.

Omnia de Communi Sanctorum
nec Virginum nec Martyrum, *IXXX.*
præter ea quæ hic habentur.

Oratio.

Deus, qui beatam Hedwigem
a sæculi pompa, ad homilem
tuæ crucis sequelam toto corde
transire docuisti: concede, ut ejus
méritis, & exemplo discamus peri-
turas mundi calcare delicias, & in
ampléxu tuæ crucis omnia nobis ad-
versantia superare. Qui vivis &
regnas.

In primo Nocturno, Lectiones de
Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO I.

Hedwigis regis clara natâ-
bus, innocentia tamen vitæ
longè clarior, Sanctæ Ellisabéthæ
filia Regis Hungariæ materera,
Bertholdi, & Agnêtis Moraviæ
Marchionum filia, animi ab in-
eunte ætate moderatè non protulit
adhuc enim puellula puerilibus ab-
stinuit; & duodennis Henrico Polô-
niæ Duci à paréntibus nupti trá-
dita, thalami fide sanctè servata,
prolem indè susceptam in Dei ti-
more erudit. Ut autem commo-
ditis Deo vacaret, ex patri voto, &
consensu unânimi ad separationem
tori virum induxit: quo defuncto,
ip-

pus cilicis, catenis, urticarum ma-
nipulis, aliisque asperimis flagel-
lis sæpe cruciaret, & aliquando in-
ter spinas volutaret, sic Deum allo-
qui solita: Domine aut pati, aut
mori: se semper miserimâ morte
perirentem existimans, quamdiu à
cœlesti æternæ vitæ fonte abesset.
Propetiæ dono excelluit, eamque
divinis charismatibus tam liberali-
ter locupletabat Dominus, ut sæ-
pius exclamans peteret, beneficiis
in se divinis modum imponi: nec
tam celeri oblivione culpæ suarum
memoriam aboleri. Intolerabili
igitur divini amoris incendio potius,
quam vi morbi, Albæ cum
decemberet, prænuntiatio suæ mor-
tis die, Ecclesiasticis Sacramentis
munita, alumnos ad pacem, chari-
tatem, & regularem observantiam
adhortata, sub columbæ specie
purissimam animam Deo reddidit,
annos nata sexaginta septem, an-
no millésimo quingentesimo octo-
gesimo secundo, Idibus Octobris,
juxta Kalendarium Romani emenda-
tionem. Ei morienti adesse visus est
inter Angelorum agmina Christus
Jesus: & arbor arida cellæ próxi-
ma statim effloruit. Ejus corpus
usque ad hanc diem incorruptum,
odoratè liquore circumfúsus, piâ
veneratione colitur. Miraculis clâ-
ruit ante, & post obitum; eamque
Gregorius Décimus Quintus in Sanc-
tarum numerum rétulit.

R. Afferentur Regi virgines post
eam, proxima ejus. **V.** Afferentur
tibi in lætitia & exultatione. **V.** Spécie
tua & pulchritudine tua intende,
prospere procede, & regna. Affer-
entur, Glória Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti
Gregorii Papæ: in Evangelium
Simile erit regnum cœlorum de-
cem virginibus, ut in Communi Vir-
ginum, *IXXX.*

ipsa in Monasterio Trebnicensi, Deo, quem assiduis precibus exoraverat, inspirante, Cisterciensem devota sumpsit habitum, in eoque contemplationi intentam, divinis Officiis, & Missarum sollempnis a solis ortu ad meridiem usque assidue assistens, antiquum humani generis hostem fortis contempnit.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: **¶** Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Specie tua & pulchritudine tua intendere, prospere procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

Sæculi autem commercia, ni Divina, vel animarum salutem attingerent, audire, vel loqui non sustinuit: prudentia in agendis sic emicuit, ut neque excessus esset in modo, nec error in ordine, comis aliocui, & mansueta in proximum. Grandem autem de se triumphum jejuniis, & vigiliis, vestiumque asperitate austera carnem macerans, reportavit: hinc sublimioribus florens virtutibus christianis, consiliorum gravitate, animique candore, & quiete in eximium religiosæ pietatis evasit exemplar: omnibus se ultro subicere, atque viliora præ ceteris Monialibus alacriter minima subire; pauperibus etiam flexo genu ministrare, leprosorum pedes abluere, & osculari, ipsi familiaris erat, neque illorum ulcera sanie manantia sui victrix abhorruit.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: **¶** Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio vi.

Mira fuit ejus patientia, animique constantia; præcipue ve-

ro in morte Henrici Ducis Silesiæ, sui, quem maternè diligebat, filii in bello à Tartaris cæsi enituit: potius enim grâtiâ Deo, quam filio lærymas reddidit. Miraculorum denique gloriâ percerebuit; puerum enim demersum, & molendini rotis allisum, & prorsus attritum, invocata, vitæ restituit, aliæque præstitit, ut ritè is Clemens Quartus probatis, Sanctorum numero eam adscripserit, ejusque festum in Polonia, ubi præcipuâ veneratione uti Patrôna colitur, die decimâ quintâ Octôbris celebrari concesserit: quod deinde ut decimâ septimâ in tota Ecclesia fieret, Innocentius Undecimus ampliavit.

R. Fallax grâtiâ, & vana est pulchritudo: **¶** Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Glôria Patri. Malier.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Simile est regnum cælorum thesauro, ut in Communi non Virginum. lxxxvij.

Vesperæ de S. Luca Evangelista, sine Commemor. S. Hedvigis.

DIE XVIII. OCTOBIS.

In Festo Sancti Lucæ Evangelistæ. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum, j. exceptis iis quæ hic propria ponuntur.

Oratio.

Intervéniat pro nobis, quaesumus Dómine, Sanctus tuus Lucas Evangelista; qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore, pro tui nominis honore portavit. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, leguntur Lectiones de Ezechiele Propheta positæ in Communi Evangelistarum. xiv.

In secundo Nocturno.

Ex libro S. Hierónymi Presbyteri de Scriptôribus Ecclesiasticis.

Lectio iv.

Lucas Medicus Antiochenis, ut ejus scripta indicant, Græci sermonis non ignarus, fuit secutor Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus comes. Scripsit Evangelium, de quo idem Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutem vos Lucas, Medicus charissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo, Acta Apostolorum, prænotatur: cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum.

R. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, & Angelus Dómini locutus est ad me, dicens: **¶** Isti sunt viri sancti facti amici Dei.

V. Vidi Angelum Dei fortem, volentem per médium cælum, voce magnâ clamantem, & dicentem. Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

Igitur periodos Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter ceteras ejus res hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert, Presby-

terum quemdam in Asia amatorem Apostoli Pauli, convictum à Joanne, quod auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit, juxta Evangelium meum, de Luca significare volumine.

R. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: **¶** Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. **V.** Cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete.

Lectio vi.

Lucam autem non solum ab Apostolo Paulo didicisse Evangelium, qui cum Dómino in carne non fuerat, sed à ceteris Apostolis: quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Evangelium sicut audierat, scripsit: Acta verò Apostolorum, sicut viderat ipse, composuit. Vixit octoginta & quatuor annos, uxorem non habens: sepultus est Constantiâ, ad quam urbem vigesimo Constantini anno ossa ejus cum reliquiis Andræ Apostoli translata sunt de Achaja.

R. Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentés jussa principum, meruerunt præmia æternæ: **¶** Modò coronantur, & accipiunt palmam. **V.** Isti sunt qui videntur ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. Modò. Glôria Patri. Modò.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papae in Evangelium Designavit Dominus, de Communi Evangelistarum. xvi.

In secundis Vesperis, fit Commemoratio S. Petri de Alcantara.

DIE XIX. OCTOBRIS.

In Festo Sancti Petri de Alcantara Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, IV. praeter sequentia.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

Oratio.

DEUS, qui beatum Petrum Confessorem tuum admirabilis poenitentiae, & altissimae contemplationis munere illustrare dignatus es: da nobis quæsumus; ut ejus suffragantibus meritis carne mortificati, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Alcantaræ in Hispania nobilibus parentibus natus, a teneris annis futuræ sanctitatis indicia præbuit. Decimo sexto ætatis anno Ordinem Minorum ingressus, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Tum munus concionatoris ex obedientia exercens, innumeros a vitiis ad veram poenitentiam traduxit. Primævum Sancti Francisci institutum exactissime reparare cupiens, ope divinâ fretus, & Apostolica munitus auctoritate, angustissimum & pauperrimum Cœnobium juxta Pedrosum fundavit: quod vitæ genus asperissimum, ibi

felicitè cœptum, per diversas Hispaniæ provincias, usque ad Indias mirifice propagatum fuit. Sanctæ Theresiæ, cujus probaverat spiritum, in promovenda Carmelitarum reformatione adiutor fuit. Ipsa autem à Deo edocta, quod Petri nomine nihil quisquam peteret, quin protinus exaudiretur, ejus precibus se commendare, & ipsum adhuc viventem sanctum appellare consuëvit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductõibus tutavit illum:

V. Et dedit illi claritatem æternam.

W. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Priñcipum obsœquia, qui ipsum velut oraculum consulebant, summâ humilitate declinans, Cærolo Quinto Imperatori à confessionibus esse recusavit. Paupertatis rigidissimus custos, unâ tunicâ, qua nulla deterior esset, contentus erat. Puritatem ita coluit, ut à fratre in extremo morbo sibi inservente, nec leviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpetuis vigiliis, jejuniis, flagellis, frigore, nuditate, atque omni genere asperitatum in servitum redëgit, cum quo pactum inierat, ne ullam in hoc sæculo ei requiem præberet. Charitas Dei & proximi in ejus corde diffusa tantum quandoque excitabat incendium, ut è cellæ angustis in apertum campum prosilire, aerisque refrigerio conceptum ardorem temperare cogeretur.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum.

V. Et ad portas paradisi coronavit eum. **W.** Induit eum Dominus lor-

ri-

DIE XXI. OCTOBRIS.

Sancti Hilariõnis Abbatis.

Oratio.

Intercëssio nos, quæsumus Domine, beati Hilariõnis Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valëmus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Et fit Commemor. SS. Ursulæ & Sociarum in Vesperis & Laudibus. Antiphona. Prudentes virgines, apertate vestras lâmpades: ecce sponsus venit, exite obviam ei. **W.** Adducuntur regi virgines post eam. **R.** Proxima ejus afferentur tibi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine Deus noster, Sanctarum Virginum & Martyrum tuarum Ursulæ & Sociarum ejus, palmas inaccessibili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsœquiis. Per Dominum nostrum.

Lectio ij.

Hilariõ ortus Tabathæ in Palestina ex parentibus infidelibus, Alexandriam missus studiorum causâ, ibi morum & ingenii laude floruit: ac Jesu Christi suscepta religione, in fide & charitate mirabiliter profecit. Freuens enim erat in Ecclesiâ, assiduus in jejuniis & oratione: omnes voluptatum illecebraz & terrenarum rerum cupiditates contemnebat. Cum autem Antonii nomen in Ægypto celeberrimum esset, ejus videndi studio in solitudine contendit: apud quem duobus mensibus omnem ejus vitæ rationem didicit. Domum reversus, mortuis parentibus, facultates suas pauper-

ri-

ricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

Gratia contemplationis admirabilis in eo fuit, qua cum assidue spiritus reficeretur, interdum accidit, ut ab omni cibo & potu pluribus diebus abstinere. In aëra frequenter sublatus, miro fulgore coruscare visus est. Rapidus fluvius sicco pede trajecit. Fratres in extrema penuria, coelitus delatâ alimonia cibavit. Baculus ab ipso terræ defixus, mox in viridem ficulneam excrevit. Cum noctu iter ageret, densâ nive cadente, dirutam domum sine tecto ingressus est, eique nix in aëre pendula pro tecto fuit, ne illius cõpia suffocaretur. Dono prophetiæ, ac discretiõnis spirituum imbütum fuisse, Sancta Theresia testatur. Denique annumagens sexagesimum tertium, horâ quâ prædixerat, migravit ad Dominum, mirabili visione, Sanctorumque præsentia confortatus. Quem eodem momento in coelum ferri beata Theresia procul distans vidit; cui postea apparens dixit: O felix poenitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam. Post mortem vero plurimis miraculis claruit, & à Clemente Nono Sanctõrum numero adscriptus est.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederè in requiem meam: **V.** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **W.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloriam Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri in Evangelium. Nolite timere pusillus grex, ut in Communi Confessoris non Pontificis. Ixv.

ribus dilargitus est: necdum quintumdecimum annum egressus, rediit in solitudinem: ubi extructa æquã casã, quæ vix ipsum cape-
ret, humi cubabat. Nec verò sac-
cum, quo semel amictus est, um-
quam aut lavit, aut mutavit, cum
supervacaneum esse diceret, mun-
ditias in cilicio quærere.

Lectio ij.

IN sanctarum litterarum lectione
& meditatione multus erat. Pau-
cas ficus, & succum herbarum ad
victum adhibebat; nec illis ante
solis occasum vesceretur. Conti-
nentiã & humilitate fuit incredibi-
li. Quibus, aliisque virtutibus va-
riis, horribilisque tentationes dia-
boli superavit, & innumerabiles
dæmones in multis orbis terræ par-
tibus ex hominum corporibus eie-
cit. Qui octogesimum annum agens,
multis ædificatis Monasteriis, &
claris miraculis, in morbum inci-
dit: cuius vi cum extrimo penè spi-
ritu conflictaretur, dicebat: Egre-
dere, quid times? egredere anima
mea, quid dubitas? septuaginta pro-
pè annis servisti Christo, & mor-
tem times? Quibus in verbis spiri-
tum exhalavit.

Te Deum laudamus. 12.

DIE XXV. OCTOBRIS.

Sanctorum Martyrum Chrysanthi
& Darie.

Oratio.

Beatorum Martyrum tuorum,
Domine, Chrysanthi & Darie,
quæsumus, adsit nobis oratio: ut
quos veneramus obsequio, eorum
pium iugiter experiamur auxilium.
Per Dominum nostrum Jesum
Christum Filium tuum.

Lectio ij.

Chrysanthus & Daria cõjuges,
nobili genere nati, fide etiam
clariores, quam Daria, mariti
opera, cum baptismo susceperat,
Romæ innumerabilem hominum
multitudinem, hæc mulierum, ille
virorum, ad Christum converterunt.
Quare Celerinus Præfectus
comprehensos tradidit Claudio tri-
buno: qui jussit à militibus Chry-
santhum vinctum cruciatibus tor-
queri: sed vincula omnia resoluta
sunt: mox cõpedes, in quos con-
jectus fuerat, confracti.

Lectio iij.

Deinde bovis corio inclusum,
in ardentissimo sole consti-
tuunt: tum pedibus ac manibus ca-
tenâ constrictis, in obscurum car-
cerem detrudunt: ubi solutis catē-
nis, clarissima lux locum illustra-
vit. Daria verò in lupanar com-
pulsã, leonis tutelã, dum in ora-
tione defixa est, à contumelia divi-
nitùs defensa est. Denique in are-
nariam, quæ est viã Salariã, utr-
que ductus, effossã terrã, lapidibus
obrutis, parem martyrii coronam
adepti sunt.

Te Deum laudamus. 12.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

Sancti Evaristi Papæ & Martyris.

Oratio.

Infirmiãtatem nostram respice om-
nipotens Deus: & quia pondus
proprie actionis gravat, beati E-
varisti Martyris tui atque Pontificis
intercessio gloriosa nos protegat.
Per Dominum nostrum.

Lectio iij.

Evaristus Græcus ex Judæo
patre, Trajano Imperatore Pon-

Responsoria de Feria occurrenti
Lectio ij.

Quid ergo est, Ego sum vitis
vera? Numquid ut adderet,
vera, hoc ad eam vitem re-
tulit, undè ista similitudo transla-
ta est? Sic enim dicitur vitis per si-
militudinem, non per proprietã-
tem: quemadmodum dicitur ovis,
agnus, leo, petra, lapis angularis,
& cætera hujusmodi, quæ magis ip-
sã sunt vera, ex quibus ducuntur
istæ similitudines, non proprietã-
tes. Sed cum dicit, Ego sum vitis
vera, ab illa se itique discernit,
cui dicitur: Quomodo conversa es
in amaritudinem vitis aliena? Nam
quo pacto est vitis vera, quæ ex-
pectata est ut faceret uvam, fecit
autem spinas.

Lectio iij.

Ego sum, inquit, vitis vera: &
Pater meus agricola est. Num-
quid unum sunt agricola, & vitis?
Secundum hoc ergo vitis Christus,
secundum quod ait: Pater major
me est. Secundum autem id, quod
ait: Ego & Pater unum sumus: &
ipse agricola est, nec talis, quales
sunt qui extrinsecis operãndõ ex-
hibent ministerium; sed talis, ut
det etiam intrinsecis incrementum.
Nam neque qui plantat, est aliquid,
neque qui rigat: sed, qui incre-
mentum dat, Deus. Sed itique
Deus est Christus, quia Deus erat
Verbum: undè ipse & Pater unum
sunt: & si Verbum caro factum
est, quod non erat, manet quod
erat.

In Laudibus dicuntur Preces fe-
riciales flexis genibus, ut supra. 44

Oratio.

Concedè, quæsumus omnipotens
Deus: ut sicut Apostolorum
tuorum Simonis & Judæ gloriosã
nata litia prævenimus; sic ad tua
beneficia promerenda majestatem
tuam

Pontificatum gessit. Qui Ecclesiã-
rum titulos urbis Romæ Pres-
byteris divisit, & ordinavit, ut
septem Diaconi Episcopum custo-
dissent, dum Evangelicæ prædica-
tionis officio fungeretur. Idem con-
stituit ex traditione Apostolica, ut
matrimonium publicè celebrètur,
& Sacerdotis benedictio adhibea-
tur. Præfuit Ecclesiæ annos novem,
menses tres, Presbyteris decem
& septem, Diaconis duobus, Epis-
copis quindecim, quater mense De-
cembri ordinatis. Martyrio coro-
natus, prope sepulchrum Principis
Apostolorum in Vaticano sepultus
est septimo Kalendas Novembris.
Te Deum laudamus. 12.

DIE XXVII. OCTOBRIS.

In Vigilia Apostolorum Simonis
& Judæ.Lectio sancti Evangelii secun-
dum Joannem.

Lectio ij. Cap. 15.

In illo tempore: Dixit Jesus dis-
cipulis suis: Ego sum vitis ve-
ra: & Pater meus agricola est.
Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini
Episcopi.

Tractatu 80. in Joannem.

Iste locus Evangelicus, fratres,
ubi se dicit Dominus vitem, &
discipulos suos palmites, secun-
dum hoc dicit, quod est caput Ec-
clesiæ, nosque membra ejus, mediã-
tor Dei & hominum homo Chris-
tus Jesus. Unius quippè naturæ
sunt vitis & palmites. Propter
quod cum esset Deus, cujus naturæ
non sumus, factus est homo, ut in
illo esset vitis humanã naturã, cu-
jus & nos homines palmites esse
possemus.

Pars Æstiva.

Xx

tuum pro nobis ipsi præveniant.
Per Dñm.

DIE XXVIII. OCTOBRIS.

In Festo SS. Apostolorum Simonis
& Judæ.

Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum,
i. præter ea quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui nos per beatos
Apostolos tuos Simónem &
Judam ad agnitióem tui nómínis
venire tribuisti: da nobis eórum
glóriam sempiternam, & proficiéndum
celebrare, & celebrándum proficere.
Per Dñm nostrum.

In primo Nocturno.

Incipit Epístola cathólica beati
Judæ Apóstoli.

Lectio j.

Iudas Jesu Christi servus, frater
autem Jacóbi, his, qui sunt in
Deo Patre dilectis, & Christo Jesu
conservatis, & vocatis. Misericórdia
vobis, & pax & charitas adimpleatur.
Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis
de communi vestra salute, necesse habui
scribere vobis: deprecans supercertari
semel tradidit Sanctis fidei. Subintolerant enim
quidam homines (qui olim prescripti
sunt in hoc iudicium) impij, Dei
nostri gratiam transferentes in luxuriam,
& solum Dominatorem & Dominum
nostrum Jesum Christum negantes.

R. Ecce ego mitto vos sicut oves
in medio luporum, dicit Dominus:
Estote ergo prudentes sicut serpentes,
& simplices sicut columbæ.
V. Dum lucem habetis, credite in lucem,
ut filii lucis sitis. Estote.

Lectio ij.

Commonere autem vos volo,
sciéntes semel omnia, quóniam
Jesus populum de terra Ægypti
salvans, secundo eos, qui non

crediderunt, perdidit: angelos vero,
qui non servaverunt suum principatum,
sed dereliquerunt suum domicilium,
in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine
reservavit. Sicut Sodoma & Gomorra,
& finitimæ civitates simili modo
exornata, & abeuntes post carnem
alteram, factæ sunt exemplum,
ignis æterni penam sustinentes.
Similiter & hi carnem quidem maculant,
dominationem autem spernunt,
majestatem autem blasphemant.

R. Tollite jugum meum super vos,
dicit Dominus, & discite à me,
quia mitis sum, & humilis corde.

V. Jugum enim meum suave est,
& onus meum leve. **V.** Et invenietis
requiem animabus vestris.
Jugum enim.

Lectio iij.

Cum Michaël Archangelus cum
diabolo disputans altercatur de
Móysi corpore, non est ausus
iudicium inferre blasphemiam, sed
dixit: Imperet tibi Dominus. Hi
autem, quæcumque quidem igno-
rant, blasphemant: quæcumque
autem naturaliter, tamquam muta
animalia, norunt, in his corrumpuntur.
Væ illis, quia in via Cain
abiierunt, & errore Balaam mercède
effusi sunt, & in contradictione
Core perierunt. Hi sunt in epulis
suis macula, convivantes sine timore,
semetipsos pascentes, nubes
sine aqua, quæ à ventis circumferuntur,
arbores autumnales, infructuosæ,
bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri
maris, despumantes suas confusiones,
sidera errantia: quibus procella
tenebrarum servata est in æternum.

R. Dum steteritis ante reges &
præsides, nolite cogitare quomodò,
aut quid loquamini: **V.** Dabitur
enim vobis in illa hora quid lo-
quã-

quãmini. **V.** Non enim vos estis
qui loquamini: sed Spiritus Patris
vestri, qui loquitur in vobis. Dabitur
enim vobis. Glória Patri. Dabitur
enim.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Simon Chananæus, qui & Zelotes,
& Thaddæus, qui & Judas Jacóbi
appellatur in Evangelio, unus ex
catholicis Episcopis scriptor, hic
Mesopotamiam, ille Ægyptum
Evangelicam prædicatione peragravit.
Postea in Persidem convenientes,
cum innumerabiles filios Jesu Christo
peperissent, fidemque in vastissimis
illis regionibus & efferatis gentibus
diseminassent, doctrinam & miraculis,
ac denique glorioso martyrio,
simul sanctissimum Jesu Christi
nomen illustrarunt.

R. Vidi conjunctos viros habentes
splendidas vestes, & Angelus Domini
locutus est ad me, dicens: **V.** Isti
sunt viri sancti, facti amici Dei.
V. Vidi Angelum Dei fortem,
volantem per medium cælum,
voce magna clamantem, & dicentem.
Isti sunt.

Sermo Sancti Gregorii Papæ.

Homilia 30. in Evangelia, post me-
dium.

Lectio v.

Scriptum est: Spiritus Domini
ornavit cælos. Ornamenta enim
cælorum sunt virtutes prædicantium.
Quæ videlicet ornamenta
Paulus enumerat, dicens: Alii datur
per Spiritum sermo sapientiæ,
alii sermo scientiæ secundum eundem
Spiritum, alteri fides in eodem
Spiritum, alii gratia sanitatum
in uno Spiritu, alii operatio virtutum,
alii prophetia, alii discretio spirituum,
alii genera linguarum,
alii interpretatio sermonum. Hæc
autem omnia operatur unus atque

idem Spiritus, dividens singulis
prout vult.

R. Beati estis cum maledixerint vobis
homines, & persecuti vos fuerint,
& dixerint omne malum ad-
versum vos, mentientes, propter me:
V. Gaudete & exultate, quoniam
merces vestra copiosa est in cælis.
V. Cum vos oderint homines, &
cum separaverint vos, & reprobraverint,
& ejecerint nomen vestrum
tamquam malum propter Filium
hominis. Gaudete.

Lectio vj.

Quot ergo sunt bona prædicantium,
tot sunt ornamenta cælorum.
Hinc rursus scriptum est: Verbo Domini cæli firmati
sunt. Verbum enim Domini Filius
est Patris. Sed eisdem cælis, videlicet
Sanctis Apostolos, ut tota simul
sancta Trinitas ostendatur operata,
repente de sancti Spiritus divinitate
adjungitur: Et spiritu oris ejus
omnis virtus eorum. Cælorum ergo
virtus de Spiritu sumpta est: quia
mundi hujus potentibus contraire non
possimerent, nisi eos sancti Spiritus
fortitudo solidasset. Quales namque
Doctores sanctæ Ecclesiæ ante
adventum hujus Spiritus fuerint,
scimus: & post adventum illius,
cujus fortitudinis facti sint,
conspicimus.

R. Isti sunt triumphatores, & amici
Dei, qui contempnentibus jussa
principum, meruerunt præmia
æterna. **V.** Modò coronantur, &
accipiunt palmam. **V.** Isti sunt qui
venērunt ex magna tribulatione,
& laverunt stolas suas in sanguine
Agni. Modò. Glória Patri. Modò.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum
Joannem.

Lectio vij.

Cap. 15. c.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis
suis: Hæc mando vobis,

Xx 2

ut

ut diligátis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini
Episcopi.

Tractatu 87. in Joannem.

IN lectione Evangelica, quæ hanc antecedit, dixerat Dominus: Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hic autem dicit: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ac per hoc intelligere debemus, hunc esse fructum nostrum, de quo ait: Ego vos elegi, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: & quod adjunxit, Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Tunc utique dabit nobis, si diligamus invicem; cum & hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructum, quia non eum nos elegeramus, & posuit nos ut fructum afferamus, hoc est, invicem diligamus.

R. Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. **V.** In omnem terram exivit sonus eorum, & in finem orbis terræ verba eorum. Calicem Domini. **Benedictio.** Quorum festum colimus.

Lectio viij.

Charitas ergo est fructus noster, quam definit Apostolus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Hæc diligimus invicem, hæc diligimus Deum: neque enim vera dilectione diligemus invicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque proximum suum, tamquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit

Deum, non diligit seipsum. In his enim duobus præceptis charitatis, tota Lex pendet, & Prophetarum. Hic est fructus noster. De fructu itaque nobis mandans, Hæc mando, inquit, vobis, ut diligatis invicem. Unde & Apostolus Paulus, cum contra opera carnis commendare fructum spiritus veller, à capite hoc posuit: Fructus, inquit, spiritus, charitas est: ac deinde cætera, tamquam ex isto capite exorta & religata contexit, quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.

R. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam:

V. Quorum doctrinam fulget Ecclesia, ut sole luna. **V.** Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam. Quorum. Gloria Patri. Quorum.

Benedictio. Ad societatem civium. **Lectio ix.**

Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi ferveat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficitur? Quis salubriter fidelis, nisi eâ fide, quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet unde turpatur, nisi diligat unde honestatur? Merito itaque magister bonus dilectionem sic sæpè commendat, tamquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

Te Deum laudamus. 12.

DIE

DIE XXX. OCTOBRIS.

In Vigilia omnium Sanctorum.
Tres Lectiones leguntur de Homilia Sancti Ambrosii Episcopi in Evangelium Descendens Jesus de monte, de Communi plurimorum Martyrum. xl.

Responsoria de Feria occurrenti.
In Laudibus dicuntur Preces festivales flexis genibus, ut in Psalterio. 44.

Oratio.

Domine Deus noster, multiplicata super nos gratiam tuam: & quorum prævenimus gloriosa solemnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiâ. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

FESTA NOVEMBRIS.

Prima die non impedita dicitur Officium defunctorum.

Xx 3

DIE